

3 m 4

XXX

FVRSTE

HOLD

EUSEBII Fürstenholds

EXAMEN JUDICII,


De

CONSTANTINI GERMANICI ITINERARIO POLITICO.

Ad Virum quendam Nobilissimum scriptum.

ANNO

M. DC. LXX.







Diu eſt, *Vir Nobiliſſime*, quòd ad Te ſcribendi officium variis impedimentis mihi hactenus obſtantibus intermittere coactus ſum, quibus ex parte jam feliciter, Deô adjuvante, remotis, hodiernô die ſilentii diuturni finem facere conſtitui. Materiam Epiſtolæ non aliam exiſtimavi Tibi gratiorem futuram, quàm ſi de Re Literariâ jucundiora quædam & præprimis Civilis prudentiæ doctrinam reſpicientia Tecum communicarem. Quamvis verò plura præteritis Lipſienſibus Nundinis Auctumnalibus prodiiſſe ſcias, quæ ex Titulo (non rarò licet fallaci) ſalivam curioſo Lectori queant movere; ſingularem tamen cùm variè judicandi anſam ſuppeditaverit, qui *quartâ jam vice* mutato nomine nunc Constantinus Germanicus audire vult, in famoſiſſimo illo & invidioſiſſimo ſuo ITI-

NERARIO GERMANIÆ POLITICO, ſive *Epiſtolâ Politicâ de Peregrinationibus Germanorum rectè & ritè juxta interiorem Civilem Prudentiam, inſtituendis, in qua depinguntur Germaniæ Principum mores, doctrina, inclinationes, vota, ſpes, & metus, ſecreti magis, quàm profesſi, &c.* avidius ferè præ cæteris perlegi Judicium neſcio cujus *Ludovici Veronenſis* de eo ipſo nuper typis vulgatum, & eò quidem imprimis perluſtravi avidiùs, quòd, cùm Veronenſem ſe vocare, relationemque ſuam ad Virum celeberrimum Dn. J.H.B. ſcripſiſſe versâ paginâ ſtatim intellexerim, candidè & juxta veritatis normam ipſum ſuam mentē expoſiturum eſſe ſperarem. Sed quantum me ſpes illa fefellerit, mox, unâ & alterâ pagellâ perlectâ, abundè expertus ſum, dum ubivis mirum hominis ſtudium adulandi perſpexi. Quapropter cùm publicè intereſſe omnes judicent prudentes, ut quoquô modô, vel ipsâ etiam auctoritate Principum, nimia & fe-

rox illa ſcripturientium coërceatur licentia, & quilibet bonus civis famam ſuæ Reipubl. καθδύταμιν defendere obſtrictus ſit, non à meo ſtatu alienum me facturum putavi, ſi quàm falſus & improbus in calumniando CONSTANTINUS, quamq; impotens & imbecillis LUDOVICUS in defendendo fuerit, brevibus animadverſionibus (nec enim, ut mendacia proſternas, multo labore opus eſt) oſtenderem. Quò ſaltem imperitiores (nam prudentes, etiam me non monente, utriusque inſaniam facilè perſpicient) à periculô ſiniſteriores & reverentiæ, quam tantis Principibus debent, minùs congruas cogitationes & opiniones de Sacratisſimo Imperii noſtri Capite & Serenisſimis illius Principibus imbibendi ſibi cavere doceam. Illas itaque Animadverſiones literis ad Te meis comites addere pro eâ, quæ hactenus nos intercesſit, amicitiâ non dubitavi, certò perſuaſus, eas Tibi non fore ingratas, cùm exindè Te perſpecturum eſſe confidam, tum meum erga

tantas poteſtates, quas improbô ſuo calamô laceſſere non veriti ſunt iſti homines, amorem ac ſubmisſisſimi animi reverentiam, tum Tuæ Nobiliſs. Claritati quacunque oblatâ occaſione obſervantiam debitam teſtandi ſtudium. Interea vale, & mihi favere ulteriùs perge.

EXAMEN
Defenſionis à Ludovico Veronenſe pro Conſtantino Germanico ſuſceptæ.

L*udovici Veronenſis*) Uſitatum ferè eſt hodiè ſcribentibus, acerbitatem ſtyli, quâ ſe invidiæ expoſitum iri facilè poſſunt perſpicere, excuſare præſcriptô Veronenſis nomine, quaſi, cùm ſciant, veritatem parere odium. & ferè nonniſi Veronæ licere, eam nudam in propatulo ſiſtere, vel eo ipſo ſignificaturi ſint, ſibi in ſuis libellis non niſi veritatem in omnibus ſequi eſſe propoſitum. Quicquid verò ſit de inſtituto illorum, (de quo alia forſan occaſione dicendi erit locus) neſcio,

nescio, quo jure hic Ludovicus Veronam suam patriam profiteri ausus sit, cùm se Placentinum esse minùs occultè per totum Discursum prodiderit. Tantum etenim in relatione ista deprehendere licet adulandi studium, tantam impudentiam & mentiendi audaciam, ut (nisi fortè Constantinus ipse sub Ludovici nomine hanc Apologiam scripserit) mireris, in hominem literatum, cui, si verè talis esse velit, virtutum, & inter eas veritatis præcipuè, studium menti esse debet, id potuisse cadere. Ne verò calumniandi animô hoc à me dici quispiam existimet, abundè istud in seqq. demonstrare constitui, partim, ut tum ipse Constantinus, tum alii hinc discant, majori reverentia & humilioris affectûs submissione atque observantiâ, ut par est & æquũ, de Sum̃is Imperii nostri Germanici capite & columnis, sententiam suam in orbẽ divulgare, & à pessimo atque nequissimo illo traducendi Serenissimas & Sacratissimas Potẽtissimorum Principum personas institutô

magis in posterũ sibi cavere, nisi dignam tali nequitiâ pœnam ab iis, quibus Majestatum & Potestatum contemtores in ordinem redigere à Deo datum est, experiri malint; partim ut & Apologista intelligat, quanto periculo se ipsum temerario suo ausu intruserit, dum, quod alternâ oblivione erat sepeliendum, & flexis supplicibus genibus, acerrimisque seriæ pœnitentiæ lacrumis deprecandum, crimen, denuò in lucem protrahere non erubuit, & inani suâ loquacitate defendere frustrà lategit.

Ad Magnificum, &c. &c. Virum, Dn. J. H. B. S. C. M. ut & S. E. M. Consiliarium, Academiæ A. famigeratissimum Profeßorem.) En, quæso, impudentem hominis audaciam! qui non veretur defensionem injuriarum à Constantino suo Summis Principibus illatarum celeberrimo illi auctoritatis & honoris Principum adsertori inscribere, præcipuè cùm non ignoraverit, ignorare certè non debuerit, (quia Consiliarium S. C. M. & E. E. M.

in

in titulo eum,ut decet, appellat) magnum iſtum Virum vel ipſius ratione officii obligatum eſſe præ multis, ad defendendum famam tum S. Majeſtatis Cæſareæ & Eminentisſimi Electoris Moguntini, tum cæterorum Serenisſimorum Principum. An ignotum ipſi fuit, quàm ægrè nuper celeberrimus Dn. B. tulerit judicium à Sarckmaſio de ſe vulgatum, quô ſui tantùm famam non tàm lædi, quàm arrodi credebat? Quanto verò cum dolore putes illum aſpexiſſe impiam Conſtantini in Sum̃as Imperii Poteſtates carpendi, ſuggillandi, dehoneſtandi & traducendi libidinem, quamq; exaſperatum eſſe, dum ea legit, ipſius animum? Quem, Ludovice, tantum abeſſe videtur, ut frivolâ tua Apologia mitigaveris, ut potiùs tua impudentiâ, dum ipſum Tibi & Conſtantino tuo hac injuſta in cauſa Patronum expetere non erubuiſti, magis irritaveris.

Quòd rudi ac craſſo filò contextò hôc meo ſcripto tibi, Vir Magnifice & Excellentisſime, moleſtiam creem, &c.)

 Ve-

Verisſima equidem videntur, Ludovice, quæ narras. Ita eſt, non exiguam Viro Excellentisſimo rudi ac craſsô tuô calamô creaſti moleſtiam. Nec vanè conjicis, te conſultiùs facturum fuiſſe, ſi domi remanens tanti Viri circulos non turbasſes. Cauſam tibi jam expoſui, quam imprudenter ob notam Tibi B ri humanitatem te inſuper habuiſſe profiteris, cùm ſciveris, eam ſaltem erga bonos extendi, quorum numerô, dum maledicta ſcommata & temeraria judicia Germanici non erubuiſti defendere, tute excluſiſti ipſe.

Incredibile dictu eſt, quàm varia, indocta & inſulſa judicia de hoc auctoris partu vulgariter docti, &, qui tum paſſerculis pipillare geſtiunt, protulerint, &c.) Egregium ſcil. humillimæ deprecationis pro tanto delicto (ex temeritate tamen & imprudentia, ut credo, potiùs, quàm ex malitia profecta) initium! Sed, quid deprecationem delicti dico? non eam, ſed defenſionem (ſi Diis placet) juſti facti noſter Ludovicus ſuſcepit,

lici-

licitum proindè ſibi exiſtimat, adverſan-
tes rectisſimo ſc. (præfiſcini dicam) Con-
ſtantini ſui inſtituto quibuscunque con-
vitiis impetere. Aſt videat Ludovicus,
ſuadeo, curatisſimè, ut impunè id fecerit,
An unus altérve *cum paßerculis pipi-
lans indoctè atq; inſulsè de hoc auctoris
partu* judicaverit, cùm ipſe judicia illa
non expoſuerit, haud attinet disquirere.
Id tamen ſcio, multos Viros magnos at-
que prudentes, (inter quos Ludovicus &
Conſtantinus *veluti anſeres inter olores*
p. 1. obſtreperent) partim in Principum
aulis & Academiis, partim extra eas vi-
ventes chartas illas turbandæ Reges inter
ac Principes paci & tranquillitati publicæ
aptisſimas non aliter, quàm Vulcano eas
offerendo expiari poſſe judicarunt. Qvos
Ludovicus, ſi vulgariter doctos exiſtimas,
næ vehementer erras. Sed, ut fit, magna de
ſe ipſo perſuaſio alterũ contemnendi fas
eſt certisſima. Nec inſulsè aut imprudenter
ter aut gratis illos ita judicaſſe, patebit ex
ſeqq. Si peregrinandi rationem tantùm

exposuisset Constantinus, laudem inde, quia sic satis eam tradidit, reportasset, at quia ex magnorum Principum vituperio famam sibi parare voluit, more Herostrati magnam pro fama retulit infamiam.

Constantinus Germanicus, &c. Musis & itineribus aliquot abhinc annis intentus, bonarum artium famam quærere, patriæq; suæ bonum & industrium civem tandem aliquando reddere cogitat) Ut gratiam & benevolentiam captet, initium Apologiæ, cujus, quæ antecesserunt, fuére quasi Procemium, à laudibus Constantini facit, quas ab honesto instituto ac proposito ipsius, scil. quòd patriæ suæ bonum & industrium civem reddere cogitet, & bonarum artium famam quærat, desumit. Quod honestum animi propositum, ut rectè judicat Ludovicus, nemo, nisi invidus Momus, vituperare atque reprehendere poterit, modò media fini convenientia usurpet, nec ex regiâ, qua in famæ arcem ascenditur, viâ in de-

via

via ad ignominiæ tesqua ducentia aberret. Gloriam & honorem bonus & ignavus æquè sibi exoptant, sed ille verâ viâ, propria scil. virtute, nititur, huic quia bonæ artes desunt, dolis, fallaciis, mendaciis, aliorumque conviitiis, contendit. Ast non nisi vera gloria radices agit, atque etiam propagatur, quam si qui simulatione & inani ex improba de Illustrissimis Principibus censurâ ostentatione, fictô non modò sermone, sed etiam vultu, stabilem se gloriam consequi posse retur, vehementissimè errat. Nam per turpitudinem (qualem haud exiguam sibi Constantinus pessimô suô scriptô contraxit) velle splendere, & per alieni ruinam nomen velle crescere, quod scelesti quidam hodiè faciunt, ingentis periculi semper locô duxi.

Postquam aliquando à magnis Viris & Patronis, quorum preces auctoritatem jubendi obtinent, è Germaniâ literas recepisset, in quibus obnixè rogabatur, ut ea, quæ in Itinere Germanico ob-

servasset, vivis coloribus depingeret, & ad ipsos transmitteret, &c.) Jam ipsam occasionem, quâ motus Constantinus Itinerarium suum conscripserit, exponit, in qua relatione fallitas & ambitio (nec enim alium, quàm ipsum Constantinum hujus Apologiæ auctorem existimo) præclarè scil. invicem certant, ut propterea vel exindè constare possit, quæ in seqq. fides adhibenda sit Apologistæ. Ambitio equidem non exigua elucet, dum (1.) *magnos Viros & Patronos,* quorum preces auctoritatem jubendi obtinent, (2.) *obnixè* rogasse scribit, ut (3.) *vivis coloribus* depingeret, quæ in Itinere Germanico observasset. Quæ omnia esse falsa ipse Constantinus prodidit, dum (1.) Epistolam suam direxit & transmisit non ad Viros magnos & Patronos, sed ad *unum* suum *amicum*, p. 1. nullâ, ne verbulô quidem, factâ mentione Patronorum, qui ipsum tàm obnixè rogaverint, ut profitetur Ludovicus. (2.) ipse declarat, se ea scripsisse, *non,* quòd *obnixè* rogatus esset,
sed

ſed ut reſponderet duplici à qvodam amico propoſitæ quæſtioni, ſcil. *an utile ſit, Germanos peregrinationes ſuſcipere*, &, ſi utile ſit, *quænam terrarum Europæ maximè ad curriculum iſtud deligenda ſit*, huic duplici amici quæſito, non Patronorum precibus (nec enim credo hoc, ſi verum eſſet, ſilentio præteriturum fuiſſe Conſtantinum, aut ita familiarem eſſe ſuis Patronis, ut communiori amici ſaltem titulo eos honoret, ſi forſan excipere velles, ejusmodi Patronum ſub amici nomine hìc intelligi, ad quem Epiſtolam ſuam miſerit Conſtantinus communicandam porrò cum aliis) ſe pro ingenii ſui modulo (O ſi hôc metiri te valuiſſes Germanice! beatus manſiſſes) ſatisfacturum pollicetur. Præterea quis adeò mentis inops, ut perſuaderi ſibi patiatur, Virum ullum magnum obnixè rogaſſe & inſtigaſſe Conſtantinum ad tàm temerarium, impium atque abominabile factũ, ut in Sereniſſimorum Principum Germaniæ contemtum obiter laudatis

servasset, vivis coloribus depingeret, & ad ipsos transmitteret, &c.) Jam ipsam occasionem, quâ motus Constantinus Itinerarium suum conscripserit, exponit, in qua relatione falsitas & ambitio (nec enim alium, quàm ipsum Constantinum hujus Apologiæ auctorem existimo) præclarè scil. invicem certant, ut propterea vel exindè constare possit, quæ in seqq. fides adhibenda sit Apologistæ. Ambitio equidem non exigua elucet, dum (1.) *magnos Viros & Patronos*, quorum preces auctoritatem jubendi obtinent, (2.) *obnixè* rogasse scribit, ut (3.) *vivis coloribus* depingeret, quæ in Itinere Germanico observasset. Quæ omnia esse falsa ipse Constantinus prodidit, dum (1.) Epistolam suam direxit & transmisit non ad Viros magnos & Patronos, sed ad *unum* suum *amicum*, p. 1. nullâ, ne verbulô quidem, factâ mentione Patronorum, qui ipsum tàm obnixè rogaverint, ut profitetur Ludovicus. (2.) ipse declarat, se ea scripsisse, *non*, quòd *obnixè* rogatus esset,
sed

ſed ut reſponderet duplici à qvodam amico propoſitæ quæſtioni, ſcil. *an utile ſit, Germanos peregrinationes ſuſcipere*, &, ſi utile ſit, *quænam terrarum Europæ maximè ad curriculum iſtud deligenda ſit*, huic duplici amici quæſito, non Patronorum precibus (nec enim credo hoc, ſi verum eſſet, ſilentio præteriturum fuiſſe Conſtantinum, aut ita familiarem eſſe ſuis Patronis, ut communiori amici ſaltem titulo eos honoret, ſi forſan excipere velles, ejusmodi Patronum ſub amici nomine hîc intelligi, ad quem Epiſtolam ſuam miſerit Conſtantinus communicandam porrò cum aliis) ſe pro ingenii ſui modulo (O ſi hôc metiri te valuiſſes Germanice! beatus manſiſſes) ſatisfacturum pollicetur. Præterea quis adeò mentis inops, ut perſuaderi ſibi patiatur, Virum ullum magnum obnixè rogaſſe & inſtigaſſe Conſtantinum ad tàm temerarium, impium atque abominabile factũ, ut in Sereniſſimorum Principum Germaniæ contemtum obiter laudatis

latis virtutibus, vitia, si quæ sunt, eorum potissimùm *vivis* delinearet *coloribus*? Et fac, eos ita jussisse, nonne divini mandatum Numinis & suam ipsius salutem majoris ducere debuisset, quàm aliorum impias & periculosas, si audiret, preces? Nunquámne legit Germanicus in Scripturis, Deis comparari Principes, ipsorumque honorem pluribus locis & Vet. & Nov. Test. severissimis sanctionibus à Regum Rege, ipsô Deô mandari? Facilè equidem esset, hîc excurrere paulò latiùs, & quomodo in naturales, divinas, Gentium & civiles leges injurius fuerit Constantinus, ostendere, nisi parcerem tempori utiliorib⁹, quàm impiis istis Germanici narrationibus impendendo, & sperarem, Constantinũ, nisi extremè impius sit, seriâ pœnitentiâ ductum crimen suum & DEO, cujus mandata transgressus est protervè, & Principibus, quorum honorem atque existimationem lædere ausus est ferocitèr, & omnibus, quibus non vulgare præbuit scandalum, deprecaturum

rum eſſe propediem. Sed non impius ſaltem, verùm etiam imprudentisſimus omnium fuit Conſtantinus, quòd non reſpexit miſerum celebris illius Sarckmaſii caſum, & obſervavit Proverbium: Felix, quem faciunt aliena pericula cautum, cùm debuiſſet à minori colligendô ad majus ita apud animum ſtatuere; Si Sarckmaſio tàm malè cesſit, quòd obſecutus ſuo Apollini de magnis aliquibus Viris non ſatis reverenter locutus eſt, ecquæ me fata manſura eſſent, ſi Summorum Principum auctoritatē violare præſumerem? Nullius proindè momenti aut valoris hæc Conſtantini à juſſu magnorum Virorum, (forſan in Utopiā viventium) petita eſt excuſatio.

Circumſpectis itaque rebus omnibus, rationibusq; ſubductis poſtquam, quid factô opus eſſet, diu multumq; & ſæpè deliberavit mecum &c.) En obſecro iterum utriusq; & Conſtantini & Ludovici improbā audaciam, ſimul atq; abſurdam prudentiam! Cùm dicere debuiſſent,

quic-

quicquid ſcripſerit Conſtantinus, ex inconſulto quodam fervore temerarii ingenii proveniſſe; quaſi nolentes in culpa eſſe, dolô ad arrodendum famam Principum processiſſe videri malint, ſcienter ac volenter, ut dicitur, re anteà probè deliberata nefarium iſtud inſtitutum ſe fuiſſe aggreſſos palàm profitentur intrepidi. Idque re quaſi benè geſta in ipſa Apologia imprudentisſimè jactare, non dubitant. Ecquâ itaque veniâ putes dignos, qui ipſi ſe omni venia reddunt indignos, qui factum abominandisſimum nonniſi accuratô conſiliô ſuſceptum fuiſſe gloriantur?

Libellus iſte, jocosâ musâ nonnunquam compoſitus, Patronos ipſius mirificè exhilaravit.) Niſi novum his dictis ſubeſt mendacium, aut inadæquatè, ſcil. de parte tantùm ejus libelli, hæc intelligenda ſunt, Patronos iſtos non meliores Conſtantinô judico, cùm nemo vir aut civis bonus debeat lætari, cùm exiſtimatio læditur ſui Principis.

Ad

Ad amicos suos clanculum, datâ de sanctô silentiô fide in Germaniam transmisit.) Egregium verò mendacium! Si *ad amicos tantùm* procul dubio sibi fidelissimos *clanculum, acceptâ de sancto silentio fide*, suum libellũ transmisit, quæ causa cogitari poteſt, ob quam scripserit, sibi non esse dubium, quin labor, quem nunc in detegendâ (potiùs deformanda) nostra Germania suscepit, in oculos ac voculas malevolorum sit incursurus, *in Praf. ad Lect.* Jam verò qui scit, quid sit eventurum, nec tamen p.æcavet, cùm possit, ne fiat, culpam eventûs is nunquam declinare poterit. Si noluisset divulgari, ut aliquoties Apologista falsò profitetur, typis non mandasset, quia ipsô Constantinô fatente, non dubium fuit, quin plurium manus libellus incursurus sit.

Casu quod: evenit, ut Itinerarii illius exemplar, à Gallo quod. magnâ copia, (insciô Auctore) fuerit Monspelii impressum, & hinc inde per Germaniam disper-

dispersum) Iterum mendacium! Si enim insciô Auctore libellus fuit Monspelii impressus, num somnians forsan spiritui alicui præfationem Typothetæ transferendam dictavit? Quam præfationem non priori, si ulla fuit, sed posteriori Monspeliensi editioni destinatã esse, constat, quia petit, ut errata, quæ præter illam partem, quæ in fine Libri apparẽt, remanserunt, B. L. ipse corrigere velit. Miraculi instar est, illum correxisse errata, & tamen libellum, in quo fuerunt, commissa non vidisse. Deindè, si inscio Constantinô prodiit Itinerarium, quis ei addidit mantissam, ridiculam illam in Sarckmasium Satyram. Pudorem, dum hæc scripsit, exuisse Ludovicus videtur.

Primum omnium itaque certissimum est, Itinerarii Auctorem neminem ex magnis hominibus atque Principibus ullô injuriosô dicterio atque calamo tetigisse) Optarem equidem, tàm castô stylô usum esse Constantinũ, ut pro veris haberi queant, quæ jactat Apologista. Jam

verò,

verò,dum Sac. Cæſ. M. negligere res Imperii innuit, Sereniſs. El. Sax. ob vinum à Mogantino acceptum neſcio cujus levitatis, miniſtros quorundam ad Rhenum Principum perfidiæ, Trevirenſem & Colonienſem ebrioſitatis,accuſat,quis nõ intelligit,fucum hîc vendi ſimplicioribus, eſſeque falſisſima, quæ pro defenſione Conſtantini proferuntur in medium.

Quòd auctor occaſione ſingularium, etiam multa univerſalia Politica ubiq; immiſceat, non eſt factum hoc fine, quaſi diſcurſus illi generales ſecundùm ſubjectam materiam, & , ut ſic dixerim, concretivè ſint intelligendi, &c.) Aut non legiſſe Itinèrarium,aut eximiè impudentem eſſe Ludovicum oportet, quia hæc ſcribere non erubuit. Contrarium, niſi qui cerebrum geſtet in calcaneo,quivis facilè offendet, ſi ſaltẽ cõſideret particulas illativas & comparativas illas à Conſtantino adhibitas, quando à ſingularibus ad generales diſcurſus deſcẽdit. Hoc cùm inſpicienti vel primô mox aſpectu textûs

posſit

posſit luce meridianâ clariùs patere, excerpendis & annotandis exemplis tempus & chartam perdere tædet.

Librum hunc ab Auctore non eſſe publicatum) Illâ cùm non ſucceſſerit viâ, aliâ rem aggrediendum putat, quia, ut modò declaravimus, vidit ſui adſerti manifeſtum nimis eſſe contrarium, ideò ſemel effrictâ fronte non veretur negare, librum ab auctore eſſe publicatum, cujus negationis impudentia itidem ex jam dictis abundè elucet. Quæ porrò ſubjicit de clauſula illa ſalutari, hisce verbis à Conſtantino conceptâ: *Quòd ſi in civilibus rebus quidquam calamô excidit, quod forſan unum aut alterū magnum hominem offendere queat, id ego pro non dicto habeo, & liturâ jam in hoc præloquio tollo;* mihi perindè videtur, ac ſi dicerem, Conſtantinus ſceleſtus & malè ſanæ mentis homo videtur, quòd ſi tamen hoc ipſum posſit offendere, pro non dicto habeo. Non enim, ut in JCtorum ſchola meritò debuiſſet diſcere,

re, clausula ista eò pertinet, ut propter eam omnia convitia, scommata & injuriæ clarisſimis licet verbis, & destinatô animô in alterius ignominiam effusa, debeant æqua mente ferri, sed ut, si fortè præter intentionem scribentis aliquod verbum aut dictum exciderit, quod obliquè & per sinisteriorem interpretationem, alterius existimationem arrosurum posſit videri, benigniùs id accipiatur. Cùm igitur non obliquè, sed directè, non præter, sed secundùm, intentionem animi ignominiosa opprobria & vitia Principibus Imperii Constantinus objecerit, neutiquam ipsum clausula illa quidquam iure poterit juvare.

Mirum sanè est, calumniatores nonnullos non potuisse in Itinerariô emisso distinguere inter vitia & crimina sive delicta.) Mirum sanè est, quòd, inepte Apologista, ipse non distinxeris accuratiùs varios utriusque vocabuli, vitii & criminis, significatûs. Si etenim in sensu Theologico aut Ethico vitium acceperis, omne

omne vitium ſive pro habitu ſive pro actu vitioſo ſupponas, dico eſſe crimen, delictum, peccatum; Si verò in Juridico ſive Forenſi, concedo, aliquid inter iſta vocabula eſſe diſcriminis, quia Leges vitioſæ inclinationis, intentionis aut cogitationis pœnam pati neminem voluerunt, ſed ſaltem vitioſos actus pro delictis, in qua pœnæ ſtatuantur, habuerunt. Sed quid hoc ad defendendum Germanicum? Fac enim ipſum de nullo accuſaſſe delicto Viros Principes, quorum famam lædere præſumſit, (quamvis nec à criminibus tantis Principibus objiciendis abſtiterit dum quoſdam, ut in ſeqq. oſtendemus, frangendæ pacis in Imperiô, alios perfidiæ ac fraudis in pactis, ſtudiô teneri apertè inſimulavit,) quis quæſo ipſi poteſtatem conceſſit, cùm nō deprehenderit quæ exprobraret, delicta, in magnis iſtis heroibus tàm ſolerter indagandi & explorandi vitia, eaque, ſi quædam in hoc vel illo Principe deprehenderit, (Ecce enim inter Sanctos Dei nemo integer, & cœl

cœli non ſunt mundi in conſpectu ejus)
vix inter familiarisſimos uni nota aut al-
teri omnibus promiſcuè palàm conſpici-
enda more Chami exponendi? Noſti,
Conſtantine, quàm protervô nuper ca-
amô, impatientisſimi animi ſignô, uſus
ſit Protheus ille de Francimont in Sarck-
maſium nævos quosdam in ſcriptis Bur-
goldenſis deprehenſos monſtrantem,
obſecro itaque, annon legiſti apud Jure-
conſultos aut Theologos, æquum eſſe,
ut, quod tibi non vis fieri, alteri ne fece-
ris? Turbati ſanè obſequii argumentum
eſſe, rectè procul dubiô judicat *Le Bler
in ſuô Lilietô p. 124.* quando injurioſis
ſermonibus Satyricisq; ſcriptis Regnan-
tium proſcinduntur punguntur que acti-
ones, & quando nulli contumeliæ & ef-
frœnis in loquendô licentiæ generi in
Regem regiumque nomen temperatur.
Sed *reverberatis generalibus*, ut loquitur
Apologiſta, *innocentiæ telis ad ſpeciali-
ora Itinerarii capita* cum ipsô devenie-
mus, & diſpiciemus, quid ſtatuerit Con-
ſtantinus b I. DE

I. DE AULA IMPERATORIA.

QVoad hanc, etsi forsan, si mitiùs agendum esset, admitti possent cætera, quæ pro excusatione Constantini hîc profert Ludovicus, illud tamen imprimis & quàm maximè vituperio dignum, quòd p. 80. *Venationes ab Imperatore nimis frequenter magnô cum Reip. Germanicæ & ipsarum hæreditariarum Cæsaris Provinciarum damno dicit institui.* Nec sufficit ad excusandum, quòd per modum interrogationis à Germanico ea sint posita, siquidem quæ sua de illa quæstione mens sit, satis apertè prodidit p. 80. coll. cum p. 78. Ferenda esse regum ingenia, *Tacitô monente*, meritò cogitare debuisset Constantinus, & observare, quod de Theopompô refert *Plutarchus*, scil. eum interrogatum, quæ causa esset, cur Spartani in tantâ apud homines existimatione essent, an ideò forsan, quòd prudenter Re-

ge-

ges imperarent, reſpondiſſe, imò, ſubditi illorum ſunt obſequentes. Quapropter malitioſi animi indicium eſt, maximèque inſipidum, quòd, cùm aliud, quod carperet, non invenerit, ut ipſe fatetur, venationis exercitium laudatisſimo Imperatori invideat. An neſcit Germanicus, venandô exerceri Principes ad bellicæ diſciplinæ ſimilitudinem? Unde Germanorum vitam omnem in venationibus atque in ſtudiis rei militaris conſtitiſſe, auctor eſt *Cæſar Lib. VI. Bell. Gall.* An quis unquam felicior ac potentior *Magno Alexandro* Imperator extitit? At ille ipſe, ubi ab acie & armis quies aderat aliqua, venatione oblectabatur adſiduâ, & præcipuam venatorum ſemper curam habebat. *Pelopidas Thebanus*, vir animi virtute & corporis robore præcellens, primam militiæ ſuæ inſtitutionem à venationis meditatione accepit; in qua cùm acerrimè verſaretur, dux aliorum venatorum habebatur, & tantum proficiebat eô ſtùdiô, ut ipſas Thebas à tyrannide inva-

 ſorum

ſorum liberaret ope venatorum tantùm duodecim. *Viriatus* Luſitanus, primus ille in Hiſpaniâ magnus Dux, qui cavendi peritiâ omnibus Imperatoribus ac Ducibus ſui temporis prælatus eſt, qui Romanos quoque annos circiter decem variô marte fatigavit, cùm paſtor eſſet, militarem diſciplinam ex ſola venatione didicit, cui quidem diuturnam operam dedit; & à venatoribus dux factus, cùm nullâ generis aut majorum commendatione clarus eſſet, univerſum Hiſpaniæ exercitum magnâ cum laude diutiùs duxit. *Philopœmen* etiam, Achæorum Dux præclariſſimus, (quem Polybius virtutum laude in cœlum usque extollit) quoties ab armis otium nactus eſſet, venationi operam dabat, ut qui opinaretur, eam rei militaris comitem eſſe, & Regum, Imperatorum, Ducumque palæſtram. Ut omittam brevitatis ſtudiô narrare, quantum temporis & diligentiæ eidem venationum ſtudio impenderint præter laudatos etiam *Veteres Romani*, & ipſorum Impp. *Pompejus*,

jus, Jul. Cæsar, Trajanus, Antoninus Pius, Hadrianus, &c. Heinricus item *Auceps, Maximilianus I.* aliique. Ut proinde his apud animum perpensis certus quasi sim, futurum, ut non vanum sit omen, quod ex Imperatoris symbolo capi posse Constantinus, sive ex animô sive ironicè, fatetur, cum consiliô & induſtriâ, (modò divina clementia Suæ Majeſtati vitam concedat & auxilium, quod devotisſimis precibus rogamus) utcunque jam conſtitutum Imperii corpus exteris, & inter hos Turcis imprimis, redditurum eſſe formidabile. Aſt intelligo, quid ad hæc dicturus ſis, Conſtantine, ſcilic. te venandi ſtudium in Sacratisſimô ac invictisſimô Cæſare non reprehendisſe *ſimpliciter* ſed *quod nimium* illud ſit, ſummôque cum Reip. damnô conjunctum. Sed ô *maleferiatum calumniatorem!* Nonne hæc ita imprudenter ebuccinare (ut cum Ludovico loquar) vereris? Vera ſint, nec ne, altioris meritò æſtimatur indaginis, quàm ut à Te,

arcanorum negotiorum Aulæ Cæsareæ procul dubio ignarisſimô ritè dijudicari poſſent. Si famam ita retuliſſe dicis, ut ſoles, eò magis tibi officis & exſibilandum te ipſe propinas, quòd tanta ac talia fallaci rumore ab uno alteróve inferioris ſortis homine ſparſa tàm audacter, tàm imprudenter, tàm arroganter typis per orbem divulgare, & *cum paſſerculis pipillare*, non veritus es. O quanta evitaſſes pericula, ſi Senarium illum *apud Caſſiodorum* imitatus fuiſſes! ad quem Theodoricus: Arcana noſtra pro morum probitate claudebas; multorum conſcius, nec tamen, cùm plura noſſes, elatus. Magnam rem ſuſtineri non poſſe, cui tacere, (præſertim tàm indecora, ſed tàm falſa quoque, in Summi omnium univerſi orbis Principum ignominiam vergentia) grave eſt, Perſarum fuit judicium *ap. Curt. Lib. 4.* quod tanquam verisſimum ut olim, ita & hodiè, omnes moratiores Gentes ſequuntur. Unde metuendum, ne tuâ ineptâ & intempeſtivâ procacitate tibi

tibi ipse malum accersiveris vix evitandum. Scis enim, longas Regibus esse manûs. Sed opto, ut resipias, &, si seriam egeris pœnitentiam, consequaris remissionem & gratiam. Hactenus enim falsus est tuus Apologista, si, uti *novisse te sat benè* scribit, *quantum honorem Deo, Cæsari, & aliis magnis hominibus tribuere debeas*, etiam tributum esse existimet. An chartæ tuæ læsæ Majestatis crimina contineant, quod negat Apologista *p. 14. & 15.* misericordiâ erga te ductus nolo disquirere. Pergo, Duce Ludovicô tuô, ulteriùs, & converto me

II. AD AULAM MOGUNTINAM.

HAnc dum describere intendit Constantinus, video ipsum non minùs iniquum esse ELECTORI REVERENDISSIMO, quàm anteà fuit IMPERATORI INVICTISSIMO: Quæ ad SAXONEM pertinent, usque dum ad illius aulam perve-

quicquid ſcripſerit Conſtantinus, ex inconſulto quodam fervore temerarii ingenii proveniſſe; quaſi nolentes in culpa eſſe, dolô ad arrodendum famam Principum procesſiſſe videri malint, ſcienter ac volenter, ut dicitur, re anteà probè deliberata nefarium iſtud inſtitutum ſe fuiſſe aggreſſos palàm profitentur intrepidi. Idque re quaſi benè geſta in ipſa Apologia imprudentisſimè jactare, non dubitant. Ecquâ itaque veniâ putes dignos, qui ipſi ſe omni venia reddunt indignos, qui factum abominandisſimum nonniſi accuratô conſiliô ſuſceptum fuiſſe gloriantur?

Libellus iſte, jocosâ musâ nonnunquam compoſitus, Patronos ipſius mirificè exhilaravit.) Niſi novum his dictis ſubeſt mendacium, aut inadæquatè, ſcil. de parte tantùm ejus libelli, hæc intelligenda ſunt, Patronos iſtos non meliores Conſtantinô judico, cùm nemo vir aut civis bonus debeat lætari, cùm exiſtimatio læditur ſui Principis.

Ad

Ad amicos suos clanculum, datâ de sanctô silentiô fide in Germaniam transmisit.) Egregium verò mendacium! Si *ad amicos tantùm* procul dubio sibi fidelisſimos *clanculum, acceptâ de sancto silentio fide,* suum libellũ transmisit, quæ causa cogitari poteſt, ob quam scripserit, sibi non esse dubium, quin labor, quem nunc in detegendâ (potiùs deformanda) nostra Germania suscepit, in oculos ac voculas malevolorum sit incursurus, *in Praf. ad Lect.* Jam verò qui scit, quid sit eventurum, nec tamen præcavet, cùm posſit, ne fiat, culpam eventûs is nunquam declinare poterit. Si noluisset divulgari, ut aliquoties Apologista falsò profitetur, typis non mandasset, quia ipsô Constantinô fatente, non dubium fuit, quin plurium manus libellus incursurus sit.

Casu quod: evenit, ut Itinerarii illius exemplar, à Gallo quod. magnâ copia, (insciô Auctore) fuerit Monspelii impressum, & hinc inde per Germaniam disper-

dispersum) Iterum mendacium! Si enim inscio Auctore libellus fuit Monspelii impressus, num somnians forsan spiritui alicui præfationem Typothetæ transferendam dictavit? Quam præfationem non priori, si ulla fuit, sed posteriori Monspeliensi editioni destinatā esse, constat, quia petit, ut errata, quæ præter illam partem, quæ in fine Libri apparēt, remanserunt, B. L. ipse corrigere velit. Miraculi instar est, illum correxisse errata, & tamen libellum, in quo fuerunt, commissa non vidisse. Deindè, si inscio Constantinô prodiit Itinerarium, quis ei addidit mantissam, ridiculam illam in Sarckmasium Satyram. Pudorem, dum hæc scripsit, exuisse Ludovicus videtur.

Primum omnium itaque certissimum est, Itinerarii Auctorem neminem ex magnis hominibus atque Principibus ullô injuriosô dicterio atque calamo tetigisse) Optarem equidem, tàm castô stylô usum esse Constantinū, ut pro veris haberi queant, quæ jactat Apologista. Jam

verò,

verò, dum Sac. Cæſ. M. negligere res Imperii innuit, Sereniſs. El. Sax. ob vinum à Moguntino acceptum neſcio cujus levitatis, miniſtros quorundam ad Rhenum Principum perfidiæ, Trevirenſem & Colonienſem ebrioſitatis, accuſat, quis nõ intelligit, fucum hîc vendi ſimplicioribus, eſſeque falſisſima, quæ pro defenſione Conſtantini proferuntur in medium.

Quòd auctor occaſione ſingularium, etiam multa univerſalia Politica ubiq; immiſceat, non eſt factum hoc fine, quaſi diſcurſus illi generales ſecundùm ſubjectam materiam, & , ut ſic dixerim, concretivè ſint intelligendi, &c.) Aut non legiſſe Itinerarium, aut eximiè impudentem eſſe Ludovicum oportet, quia hæc ſcribere non erubuit. Contrarium, niſi qui cerebrum geſtet in calcaneo, quivis facilè offendet, ſi ſaltẽ cõſideret particulas illativas & comparativas illas à Conſtantino adhibitas, quando à ſingularibus ad generales diſcurſus deſcẽdit. Hoc cùm inſpicienti vel primô mox aſpectu textûs poſſit

posſit luce meridianâ clariùs patere, excerpendis & annotandis exemplis tempus & chartam perdere tædet.

Librum hunc ab Auctore non eſſe publicatum) Illâ cùm non ſucceſſerit viâ, aliâ rem aggrediendum putat, quia, ut modò declaravimus, vidit ſui adſerti manifeſtum nimis eſſe contrarium, ideò ſemel effrictâ fronte non veretur negare, librum ab auctore eſſe publicatum, cujus negationis impudentia itidem ex jam dictis abundè elucet. Quæ porrò ſubjicit de clauſula illa ſalutari, hisce verbis à Conſtantino conceptâ: *Quòd ſi in civilibus rebus quidquam calamô excidit, quod forſan unum aut alterũ magnum hominem offendere queat, id ego pro non dicto habeo, & liturâ jam in hoc præloquio tollo;* mihi perindè videtur, ac ſi dicerem, Conſtantinus ſceleſtus & malè ſanæ mentis homo videtur, quòd ſi tamen hoc ipſum posſit offendere, pro non dicto habeo. Non enim, ut in JCtorum ſchola meritò debuiſſet diſce-

re,

re, clausula ista eò pertinet, ut propter eam omnia convitia, scommata & injuriæ clarissimis licet verbis, & destinatô animô in alterius ignominiam effusa, debeant æqua mente ferri, sed ut, si fortè præter intentionem scribentis aliquod verbum aut dictum exciderit, quod obliquè & per sinisteriorem interpretationem, alterius existimationem arrosurum possit videri, benigniùs id accipiatur. Cùm igitur non obliquè, sed directè, non præter, sed secundùm, intentionem animi ignominiosa opprobria & vitia Principibus Imperii Constantinus objecerit, neutiquam ipsum clausula illa quidquam jure poterit juvare.

Mirum sanè est, calumniatores nonnullos non potuisse in Itinerariô emissô distinguere inter vitia & crimina sive delicta.) Mirum sanè est, quòd, inepte Apologista, ipse non distinxeris accuratiùs varios utriusque vocabuli, vitii & criminis, significatûs. Si etenim in sensu Theologico aut Ethico vitium acceperis, omne

omne vitium ſive pro habitu ſive prô actu vitioſo ſupponas, dico eſſe crimen, delictum, peccatum; Si verò in Juridico ſive Forenſi, concedo, aliquid inter iſta vocabula eſſe diſcriminis, quia Leges vitioſæ inclinationis, intentionis aut cogitationis pœnam pati neminem voluerunt, ſed ſaltem vitioſos actus pro delictis, in quæ pœnæ ſtatuantur, habuerunt. Sed quid hoc ad defendendum Germanicum? Fac enim ipſum de nullo accuſaſſe delicto Viros Principes, quorum famam lædere præſumſit, (quamvis nec à criminibus tantis Principibus objiciendis abſtiterit, dum quosdam, ut in ſeqq. oſtendemus, frangendæ pacis in Imperiô, alios perfidiæ ac fraudis in pactis, ſtudiô teneri apertè inſimulavit,) quis quæſo ipſi poteſtatem concesſit, cùm nō deprehenderit, quæ exprobraret, delicta, in magnis iſtis heroibus tàm ſolerter indagandi & explorandi vitia, eaque, ſi quædam in hoc vel illo Principe deprehenderit, (Ecce enim inter Sanctos Dei nemo integer, &

cœli

cœli non ſunt mundi in conſpectu ejus) vix inter familiariſſimos uni nota aut alteri omnibus promiſcuè palàm conſpicienda more Chami exponendi? Noſti, Conſtantine, quàm protervô nuper calamô, impatientisſimi animi ſignô, uſus ſit Protheus ille de Francimont in Sarckmaſium nævos quosdam in ſcriptis Burgoldenſis deprehenſos monſtrantem, obſecro itaque, annon legiſti apud Jureconſultos aut Theologos, æquum eſſe, ut, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris? Turbati ſanè obſequii argumentum eſſe, rectè procul dubiô judicat *Le Bler in ſuô Lilietô p. 124.* quando injurioſis ſermonibus Satyricisq; ſcriptis Regnantium proſcinduntur punguntur que actiones, & quando nulli contumeliæ & effrœnis in loquendô licentiæ generi in Regem regiumque nomen temperatur. Sed *reverberatis generalibus*, ut loquitur Apologiſta, *innocentiæ telis ad ſpecialiora Itinerarii capita* cum ipsô devenie- mus, & diſpiciemus, quid ſtatuerit Conſtantinus

I. DE AULA IMPERATORIA.

QVoad hanc, etsi forsan, si mitiùs agendum esset, admitti possent cætera, quæ pro excusatione Constantini hîc profert Ludovicus, illud tamen imprimis & quàm maximè vituperio dignum, quòd p. 80. *Venationes ab Imperatore nimis frequenter magnô cum Reip. Germanicæ & ipsarum hæreditariarum Cæsaris Provinciarum damno dicit institui.* Nec sufficit ad excusandum, quòd per modum interrogationis à Germanico ea sint posita, siquidem quæ sua de illa quæstione mens sit, satis apertè prodidit p. 80. coll. cum p. 78. Ferenda esse regum ingenia, *Tacitô monente*, meritò cogitare debuisset Constantinus, & observare, quod de Theopompô refert *Plutarchus*, scil. eum interrogatum, quæ causa esset, cur Spartani in tantâ apud homines existimatione essent, an ideò forsan, quòd prudenter Re-

ge-

ges imperarent, respondisse, imò, subditi illorum sunt obsequentes. Quapropter malitiosi animi indicium est, maximèque insipidum, quòd, cùm aliud, quod carperet, non invenerit, ut ipse fatetur, venationis exercitium laudatissimo Imperatori invideat. An nescit Germanicus, venandô exerceri Principes ad bellicæ disciplinæ similitudinem? Unde Germanorum vitam omnem in venationibus atque in studiis rei militaris constitisse, auctor est *Cæsar Lib. VI. Bell. Gall.* An quis unquam felicior ac potentior *Magno Alexandro* Imperator extitit? At ille ipse, ubi ab acie & armis quies aderat aliqua, venatione oblectabatur adsiduâ, & præcipuam venatorum semper curam habebat. *Pelopidas Thebanus*, vir animi virtute & corporis robore præcellens, primam militiæ suæ institutionem à venationis meditatione accepit; in qua cùm acerrimè versaretur, dux aliorum venatorum habebatur, & tantum proficiebat eô studiô, ut ipsas Thebas à tyrannide inva-

ſorum liberaret ope venatorum tantùm duodecim. *Viriatus* Luſitanus, primus ille in Hiſpaniâ magnus Dux, qui cavendi peritiâ omnibus Imperatoribus ac Ducibus ſui temporis prælatus eſt, qui Romanos quoque annos circiter decem variô marte fatigavit, cùm paſtor eſſet, militarem diſciplinam ex ſola venatione didicit, cui quidem diuturnam operam dedit; & à venatoribus dux factus, cùm nullâ generis aut majorum commendatione clarus eſſet, univerſum Hiſpaniæ exercitum magnâ cum laude diutiùs duxit. *Philopœmen* etiam, Achæorum Dux præclariſſimus, (quem Polybius virtutum laude in cœlum usque extollit) quoties ab armis otium nactus eſſet, venationi operam dabat, ut qui opinaretur, eam rei militaris comitem eſſe, & Regum, Imperatorum, Ducumque palæſtram. Ut omittam brevitatis ſtudiô narrare, quantum temporis & diligentiæ eidem venationum ſtudio impenderint præter laudatos etiam *Veteres Romani*, & ipſorum Impp. *Pompejus*,

jus, Jul. Cæsar, Trajanus, Antoninus Pius, Hadrianus, &c. Heinricus item *Auceps, Maximilianus I.* aliique. Ut proinde his apud animum perpensis certus quasi sim, futurum, ut non vanum sit omen, quod ex Imperatoris symbolo capi posse Constantinus, sive ex animô sive ironicè, fatetur, cum consiliô & industriâ, (modò divina clementia Suæ Majestati vitam concedat & auxilium, quod devotissimis precibus rogamus) utcunque jam constitutum Imperii corpus exteris, & inter hos Turcis imprimis, redditurum esse formidabile. Ast intelligo, quid ad hæc dicturus sis, Constantine, scilic. te venandi studium in Sacratissimô ac invictissimô Cæsare non reprehendisse *simpliciter* sed *quod nimium* illud sit, summôque cum Reip. damnô conjunctum. Sed ô *maleferiatum calumniatorem!* Nonne hæc ita imprudenter ebuccinare (ut cum Ludovico loquar) vereris? Vera sint, nec ne, altioris meritò æstimatur indaginis, quàm ut à Te,

arcanorum negotiorum Aulæ Cæſareæ procul dubio ignarisſimô ritè dijudicari poſſent. Si famam ita retuliſſe dicis, ut ſoles, eò magis tibi officis & exſibilandum te ipſe propinas, quòd tanta ac talia fallaci rumore ab uno alteróve inferioris ſortis homine ſparſa tàm audacter, tàm imprudenter, tàm arroganter typis per orbem divulgare, & *cum paſſerculis pipillare*, non veritus es. O quanta evitaſſes pericula, ſi Senarium illum *apud Caſſiodorum* imitatus fuiſſes! ad quem Theodoricus: Arcana noſtra pro morum probitate claudebas; multorum conſcius, nec tamen, cùm plura noſſes, elatus. Magnam rem ſuſtineri non poſſe, cui tacere, (præſertim tàm indecora, ſed tàm falſa quoque, in Summi omnium univerſi orbis Principum ignominiam vergentia) grave eſt, Perſarum fuit judicium *ap. Curt. Lib. 4.* quod tanquam verisſimum ut olim, ita & hodiè, omnes moratiores Gentes ſequuntur. Unde metuendum, ne tuâ ineptâ & intempeſtivâ procacitate

tibi

tibi ipse malum accersiveris vix evitandum. Scis enim, longas Regibus esse manûs. Sed opto, ut resipias, &, si seriam egeris pœnitentiam, consequaris remissionem & gratiam. Hactenus enim falsus est tuus Apologista, si, uti *novisse te sat benè* scribit, *quantum honorem Deo, Cæsari, & aliis magnis hominibus tribüere debeas*, etiam tributum esse existimet. An chartæ tuæ læsæ Majestatis crimina contineant, quod negat Apologista *p. 14. & 15.* misericordiâ erga te ductus nolo disquirere. Pergo, Duce Ludovicô tuô, ulteriùs, & converto me

II. AD AULAM MOGUNTINAM.

HAnc dum describere intendit Constantinus, video ipsum non minùs iniquum esse ELECTORI REVERENDISSIMO, quàm anteà fuit IMPERATORI INVICTISSIMO: Quæ ad SAXONEM pertinent, ùsque dum ad illius aulam pervenia-

niamus, ſeponemus intereà. Miror equidem ac demiror, quibus Diris agitatus tàm ignominiosè Illuſtrisſimo ELECTORI obtrectare Conſtantinus ſit auſus. Partim enim ipſe ELECTORI Sarcaſticis irriſionibus atque convitiis ſe præbet infeſtum, non contentus omnes Principes Eccleſiaſticos per ignominiam Geſchorne Fürſten appellaſſe, niſi etiam in ſpecie acriter ipſum Moguntinum irrideret atque exſibilaret, tum propter curam de nobilitandâ *Erfurtenſi Academiâ p. 165.* tum propter ſtudium muniendi *caſtellum monti S. Petri impoſitum p. 167.* (ſolerter præfixô ſignô attentionis, NB. ne ſcil. ab imprudente ullo modo videri posſit, relictis ſpecialibus, ut ſuprà falsò contendebat Ludovicus, ad generalia excurriſſe,) tum etiam ob aulæ Electoralis hiberno tempore *Aſchaffnaburgum ad Mœnum translationem*, *p. 183.* ob quam non dubitat vel *veſanum* Electorem vocare, alio titulo eund. *Dominum de penna forti p. 208.* appellans;

lans: Partim omnes Evangelicos Principes ad arma adversus Moguntinum sumenda quasi pro imperio compellit, dum ipsis exprobrat patientiam, *Satis jam satis*, inquiens, *boni Germaniæ Protestantes tirones à Catholicis habiti*, (haben viel Lehrgeld geben) *tempus jam erit, ut ex præteritis incommodis sua commoda prudenter ac solerter comparare discant. p. 164.* Utque id, quod intendit, faciliùs persuadeat, *omnibus* in genere remonstrat periculum, quod jam à Moguntino habeant metuendum, dum inquit: *Moguntinus Thuringiæ frenum adeptus*, hodiè *chartas Politicas in maximum Evangelicorum detrimentum, si velit, distribuere poterit. Quum verò (juxta Aristot. Lib. 5. Polit.) quod quis potest & vult, hoc etiam faciat, voluntatem hanc Moguntino Electori ad minimum Jesuitæ instillabunt, &c. p. 162.* In specie verò (α) *Saxonibus Principibus tum* (1.) *à facili* bellum Moguntino indicendum persuadere nititur,

quòd ille ſaltem corpora civium Erfurti incluſa teneat, animorum verò inclinationem ipſi cùm ob mitisſimum eorum regimen, tum ob religionis ſocietatem posſideant. p. 167. Ne verò Saxo ELECTOR hujusmodi molitionibus obverſetur, modum ſuppeditat, (incuſandô eum, quòd *plauſtris aliquot vinô onuſtis ſe paßus fuerit corrumpi,*) quò vel ſuſpectus reddatur cæteris Saxonicæ familiæ Principibus vel anſam ſumat ad reſcindendum pacta cum Moguntino concluſa. *p. 161.* tùm (2.) etiam *à juſto*, quia *non latere poteſt Proteſtantes, in noviſſimo tumultu Erfurtino illum, qui fuit actor, etiam judicis partes ſuſtinuiſſe, aut ad minimū Viennenſes Juſtitiæ Præſides in partes ſuas attraxiſſe, p. 205.* innuens ſc. quod ab initio vitioſum eſt, non poſſe tractu temporis convaleſcere, juxta *l. 29 ff. de R. J.* Et ne ſoli Moguntinum adorirentur, utque eò citiùs Erfurtum ipſi ſubtraherent (\$) jubet in auxilium vocari *Suecos p. 204.* & ipſe Oratoris inſtar,

ſtar, nunquam licet rogatus, ſed ultrò, gratis tamen (γ) *Lüneburgenſes Duces atque Landgravios Hasſiæ* ad ferendum ſuppetias Serenisſimo Palatino & diverſionem Moguntino faciendam ex alterâ parte, exſtimulat, oſtendendo Luneburgenſibus & obſcurum odium, quo ipſos Moguntinos proſequatur, & commodum ex defenſione Palatini ſperandum, *p. 205.* Hasſiacis verò *ead. pag.* auctor exiſtendo, ut ad Luneburgenſium Ducum exemplum ſe quoq; componerent, publicumq; Palatinatûs commodum privatis affectibus anteponerent. Denique etiam (δ) *Francofurtum ad Mœnum* ſollicitat, ne deſit, ſi offeratur unquam occaſio, ob infidam ſcil. Moguntini viciniam, ad invadendum eum cum cæteris. Et tandem, ut etiam ipſis Catholicis, & præcipuè *Trevirenſi Archi-Epiſcopo* eum exoſum reddat atque ſuſpectum, *p. 216.* annititur. An jam ex his enarratis ſincerum animum Conſtantini ſibi promittere posſit Moguntinus, (quamvis procul

dubio eam ſinceritatem ſusque deque habuerit, omnis, niſi qui peponem habeat pro cerebro, absque difficultate ſtatim poterit perſpicere. Ecquæ autem, obſecro, hæc eſt protervia à Lutheranæ religioni, quam profitetur Conſtantinus addictis hactenus, Deo ſit gratia, ſemper aliena, claſſicum canere ad bellum inter Principes Imperii ſuſcipiendum; incitare ad reſcindendum pacta bona fide contracta; procedere ad ſpargendum contra expreſſam prohibitionem *Inſtrumenti de Pace Publicâ Imperii*, diſſenſionum, odiorum & ſimultatum ſemina inter Status & Principes, quos, etſi de religione inter ſe diſſentiant ac diſcrepent, pacis tamen concordiâ invicem unitos eſſe, neceſſe eſt, niſi clades, quales tricennali bello hujus ſeculi perpeſſa eſt, iterum experiri debeat, Germania. Quomodo quæſo hæc conveniunt cum iis, quæ de utilitate & commodis pacis inſanus homo *p. 351.* prolixiùs diſſerit? Cur non, Conſtantine, cùm illa de Moguntino ſcri-

ſcribenda tibi Furiæ dictarunt, recordatus es eorum, quæ ead. *p.351.* ſcripſiſti; *Glorioſius ſcil. eſſe Principi, aliquo ditionis diſpendio pacem ac Reip. tranquillitatem redimere, quàm ſpecioſos & optimos referre triumphos, tantis hominum malis, quæ ſcil. bella ſequuntur, èmtos; & melius eſſe interdum pacem auro comparare, quàm periculoſæ belli aleæ ſe committere, cùm pax ſit naturæ delicium, nutrix Legum, ordinis & adminiſtrationis, &c.* Quam dum impiô ac ſceleſto tuo calamo turbare, quicquid in te eſt, contendis, pace non dignus es, & dum mavis Remp. Germanicam bello flagrantem, quemadmodum olim Nero urbem Romam igne accenſam, intueri, ut tanquam ingratus & ſceleſtus protectione iſtius Reip. faxit Deus! ſemper pacis ſtudiis & commodis florentisſimæ excludaris, es meritus. Hoc tibi certò potes promittere & credere, te ejusmodi apud Sereniſſimos Saxoniæ ELECTOREM & PRINCIPES in-

iiſſe pcſtiferô tuô ſcriptô gratias, quales te experiri nolle ego certisſimè novi. LUNEBURGENSES atq; HASSIACOS Principes eximiæ prudentiæ laudibus gloriosisſimos, nunquam credo, arma in Moguntinum eſſe moturos, dum ſpes eſt transactione pacificâ poſſe componi, quæ ipſi cum Serenisſimo Palatino intercedunt litigia, præſertim, cùm ea majorem partem jamjam per Laudum Wildfangiatûs mediantibus Potentisſimorum Regum ac Principum Illuſtribus Legationibus erectum videantur ſublata, &, quæ adhuc reſtant minoris forſan momenti, ea Eminentisſimi Moguntini placidum ingenium & Serenisſimi Palatini præclara dexteritas brevi etiam iri ſublatum non vanè polliceantur. Dum Succos evocare jubes, præterquam quòd malitioſus, etiam ineptus es. Nunquam enim credo, niſi extrema, ſi quando periclitaretur, purioris doctrinæ conſervandæ necesſitas, (quam Deus unquam futuram clementisſime prohibeat!) id poſtulet,

ſtulet, Germania Suecorum repetet auxilium, quia, quàm periculoſæ id ipſum ſit res aleæ, præterita tempora ſuô exemplô poterunt docere futura. In ſtimulando Trevirenſi ad bellum inferendũ Moguntino, vanã, Conſtantine, oſtendis ſine viribus iram. Francofurtum erit contentum pro ſuo Statu conſervando prudenti vigilantiâ; ut temerè potentioris vires laceſſat, admonitiones tuæ neutiquam efficient. Nec ab Erfurto ipſa ſibi quidquam gravius metuendum eſſe, certiùs conſtat Sereniſſimo Electori, quàm tibi inepto. Quæ de alienatis Erfurtenſiũ ab Archi-Præſule animis añectis imprudẽs, fateor, talia eſſe, quæ Erfurtenſibus non prodeſſe, ſed vehementer potiùs obeſſe, poſſent, niſi ipſi per quotidiana conſtantis ſuæ fidelitatis, quam ſemel jurarunt, ſpecimina futuræ ſuſpicionem perfidiæ, quam perſuadere ipſis irritô conatu laboras, dudum ex Optimi Principis animo ſuſtuliſſent, præcipuè cùm, (etiamſi adeſſet voluntas) occaſio tamen nova

moli-

moliendi per S. Petri castellum satis hodiè ipsis præcisa sit. Scommata atque convitia nefariô ausu in Magnum istum Germanici Imperii Principem conjecta, non tàm verbis, quia omnibus constat, ea esse ineptissima atque falsissima, quàm justis pœnis, nisi gratia severitati prævaleat, quia improbissimi sunt animi indicia, castigari oportet. Audiamus tamen, quæ Apologista pro defendendo Constantino prolaturus sit: *Primò* quidem fatetur eũ abusum nonnihil esse scribendi licentiâ, sed id accidisse ob zelum religionis Evangelicæ; quem prætendisse ipsi est, abundè Constantinum excusasse. O hominem ineptum! Quis ipsum docuit, aut quônam exemplô didicit, falsam religionem faventes convitiis non tantùm proscindendos, sed bellô etiam prosequendos esse, ob solas de rebus divinis diversas ab aliis sententias. Non ita docet Evangelica Ecclesia, nec quisquam Doctorum ejus aliquô nomine dignus hactenus ita statuit. Maleferiatorum Pon-

Pontificiorum quorundam ea fuerunt deliria, non minùs ipsis sanioribus Pontificiis, quàm Evangelicis, meritò abominanda & exsecranda visa. Quæ si sequi constituit Germanicus, eandem cum ipsis à DOMINO mercedem exspectet. *Deinde* causatur Apologista, Constantinum hæc omnia scripsisse, quando causa Erfurtensis armis est agitata. Egregium iterum mendacium! Inspiciat Lector saltem *pag. 165. Itinerarii*, & impudentissimum hominem Ludovicum esse videbit. An enim Serenissimus Moguntinus Dn. Frobenium Heidelbergâ Erfurtum pertraxit; an è lateritia Erfurtô marmoream efficere contendit; an Erfurtenses magnis oneribus pressit, eosque per Citadellas ad impossibilia ferè coëgit, &c. (quæ omnia cit. pag. Constantinus facta refert) priusquam Erfurtum in possessionem accepit? Imò *p. 158.* expressè scribit, Erfurtum opibus præcipuè Gallorum in Moguntini potestatem redactam esse. Quô factô causa Erfurtensis

fis

sis sanè erat decisa, nec ampliùs armis agitabatur, ut notum est. Deniq;, quæ de tonsis Principum Ecclesiasticorum capitibus *p. 181.* Auctor scripsit, ea non scripturum fuisse dicit, si libri privatim impressi (quod falsum ostendimus suprà) futurum fatum prævidere potuisset. Ast contrà non potuisse prævidere, sed ipso actu se prævidisse jamjam, ipse Constantinus est fassus statim in principio Præfationis, verbis jam suprà adductis: *non dubium est, quin labor hic meus in oculos ac voculas malevolorum* (sic enim omnes ipsi audiunt, qui turpissimum hominis partum non laudant) *incursurus sit.* Meritò proinde *deleantur ista,* (unà cum cæteris, non atramento, sed igne) *ne Episcoporum* (justo dolore) *animi exacerbentur.* Quæ in Galliæ Regis invidiam de arcanis ipsius artibus *p. 193. seqq.* differit Constantinus, an satis excusata sint ab Apologistâ, ipsi Galli videbunt. Nos ob temporis angustias hâc vice defensâ & servatâ integritate famæ

Germanorum Principum cogimur esse contenti, & Ludovicum jam sequi

III. ad Aulas TREVIRENSEM & COLONIENSEM.

HAs enim ambas uno capite considerandas sibi sumsit. Quamvis verò nonnihil mitiorem se exhibeat Eminentissimo Dn. ELECTORI Trevirensi, dum saltē jocatur cum ipsius amore potandi, dicens: *Dominum Electorem Generosissimum vinum Mosellanum valdè amare, eoq́ mordaces hujus seculi sollicitudines non rarò dispellere, pag. 213.* Quoad Coloniensem tamen ad priorem suam malitiam revertitur, nec se beniniorem huic præbet, quàm se antea Moguntino exhibuit. Primò enim & hunc tum in genere *p. 228.* tum in specie, quòd Coloniæ Agrippinæ obtinendæ spe ducatur, *p. 224.* verbis: *Seriò ingemiscit ac dolet sine dubio intra præcordia sua Dn. Elector Coloniensis, quòd Coloniam*

Agrip-

Agrippinam mitra sua consecrata submittere nequeat, in quô negotio feliciter conficiendô omnis ejus politica spes videtur esse reposita. Cæterùm spes illa nonnisi mera desperatio hactenus fuit, & credo, lupulum cum polenta jam esse deperditum. Desperatis etiam Hippocrates vetat adhibere medicinam. Et quòd ebrietati sit deditus, p. 250. (ubi *in aulâ hujus Electoris vehementer vitium ebrietatis grassari, & nobili Rhenensi vinô eam tantùm non submergi, fœcundosq; calices ibi nimium multos reddere disertissimos*, scribit) salsè irridendo perstringit. Postcà verò contra Serenissimum ELECTOREM sollicitè arma undique conquirit, certè odia adversus Eminentisſ. Principem spargere passim annititur, eâdem quidem ratione, quâ antea circa Moguntinum est usus. Ideoq; ante omnia monet, ipsum cum Monasteriensi, Argentinensi & aliis, qui sacras infulas gerunt, nihil non clanculum contra Evangelicæ religionis veritatem in Germania

mania moliri, & aliquid monſtri alere, p. 222. Ita cùm ſe eum reddidiſſe putat ſuſpectum, partim inteſtinos, partim extraneos eidem excitare hoſtes ſatagit, & inter *illos* præcipuè Leodienſes atq; Hildesheimenſes nugis ſuis aggreditur pag. 229. & p. 232. coll. cum p. 239. & p. 242. Inter *hos* verò Hollandos concitare nititur; dum docet pag. 250. Colonienſem plusquam Vatiniano odio proſequi ipſos cùm ob religionem Pontificiæ è diametro contrariam, tum ob detentionem Rynbergæ. Cujus detentionis ergò falsè iterum Archi-Epiſcopum irridet, *pag. 236. & p. 232.* Jam quomodo hæc omnia interpretetur, & quomodo excuſet, Apologiſta, videamus. Pergit verò hîc ſuo more mentiri, dum contendit, Auctorem musâ ſuâ jucundâ aulicos præcipuè, non aulæ Dominos, notaſſe, cujus tamen contrarium, imprimis *quoad Trevirenſem*, verba adducta ipſius Auctoris clarisſimè monſtrant. Ad cætera verò, quod malæ cauſæ indicium, mutus eſt. Adeò

pul-

pulchrè scil. suum Constantinum defendit! Jam accedendum, monente Apologistâ, etiam

IV. ad AULAM BAVARICAM.

QVam dum Constantinus describit, iterum, ut solet, varia in Serenisſ. Electorem convitia jactat, & verisſimè *agresti campanâ in eam debacchatur. Primò* quidem exprobrando ipsi (ut è potioribus unum & alterum saltem brevitatis studio notemus) simplicitatem ingenii, debilitatem judicii & inopiam prudentiæ *pag. 251. seq.* quasi impar sit ad sustinendum curam Reip. eamque propterea omnem in ministrorum arbitrio relinquere cogatur, *p. 254.* *Secundò* universam gentem Bavaricam ignominioso cognomine Säu-Treiber und Teutsche Sackpfeiffer appellando, *p. 260. Tertiò* injustitiæ & fraudis eum accusando. *Injustitiæ* quidem ob constituta certa monopolia, *pag. 280. seq. fraudis* verò,

quòd

quòd quærat & concipiat omnes occasiones, quibus civitati isti innocenti (Ratisbonensi scilic.) *incommodare, fictisq́; causis tandem opprimere possit, & cùm apertô Marte illam petere non audeat, per cuniculos variè rem aggrediatur, p.291.* An æquus Lector hinc possit colligere, mentem Auctori nunquam fuisse, *Serenissimum Dn. Electorem vel unicô verbulô sinisteriore notare*, ut Apologista excipit, æstiment prudentes. Pessimi sanè animi indicium est in Ludovico, quòd quasi cum puero homo impius agat cum Serenissimo Electore, quando dicit, Germanicum *plectrô linguæ, ut & calamô, masculè defendisse ELECTOREM, p.22. & modestiam ejus atq; pacificam animi indolem potiùs laudasse, quàm vituperasse.* Ex quibus Germanicum aut stultum aut scelestum, aut utroq; vitio egregiè exornatum, esse hominem colligo. Si enim modestiam illam ex proæresi prudentis intellectûs & pacificam indolem ex consideratione pacis bonorum,

rum, quæ ſuprà explicuit, Conſtantinus provenire judicat, ſceleſtum mendacem eſſe oportet, adeoque non exigui criminis reum, quòd ſummam intellectûs debilitatem Sereniſſimo cum opprobrio objicere p. 254. *in princ. & fine, coll. cum pap. 256. verbis: ut in Palatinatu, & ALIBI IN GERMANIA à viris rerum gnarüs accepi, &c.* non erubuit. Si verò modeſtiam illam & pacificam animi indolem ex vitio inepti ad virtutes Principe dignas ingenii derivat, aut Sycophantam agit, aut dementem aſinum, dum laudibus exornat, quæ ſilentii involvere peplo decebat, adeoque aut pœnâ Sycophantæ & inſidioſi calumniatoris, aut caſtigatione dementis & delirantis ſe reddit digniſſimum. Credo, Sereniſſimum Electorem, ſi Conſtantinus ipſius terras accederet, per accuratiſſimam hujus argumenti concluſionem ei oſtenſurum eſſe plus, quàm cupiat, ſui intellectûs vigorem. Sed audiamus nugatorem, Ludovicum & porrò. Dicit ille, *dicterium*

de

de Bibliorum lectione pertinere ad pietatis in Serenissimô Encomium, quòd Elector, quia *humillimâ mente se throno DEI abjiciens, invocatô S. Spiritûs auxiliô Scripturam diligenter scrutatur*, ita, *nunquam in pestilentes hæreses* prolapsurus sit, *p. 21. Apologiæ*. O ineptè! Nonne meministi vulgaris Proverbii: Oportet mendacem esse memorem. Si dicterium istud ut encomium (nec tanquam Scomma in simplex Electoris ingenium, ut Constantinô id visum est) pietatis Serenissimi accipiendum est, quid opus fuit id à Constantinô (ut tu quidem dicis,) *modestè p. 251.* Itinerarii castigari? Sic quasi cum pueris, cui persuaderi potest, quod lubet, non erubescit improbus Ludovicus, passim in suâ Apologiâ non minùs impudenter quàm imprudenter ad celeberr. Dn. B. perscriptâ, cum lectore, &c, quod præprimis execrandum, cum Serenissimis Germaniæ Principibus, jocari & ludere. Cæterùm, quam pietatem Constantinus Serenissimo BAVARO

concedat, contra Monzambano *p. 256.* ipſe ediſſerit, ubi ſtatuit, *glaucoma oculis ſimpliciorum objectum, & ſuperſtitionem, cui Domus Bavarica ſit immerſa, hîc nomine pietatis venire.* Hæc Ludovicus cum ſuâ interpretatione conciliet, & erit mihi magnus Apollo. *Principibus inſuper philoſophandum eſſe paucis* cùm jamdudum, antequam Ludovicus moneret, fuerit in confeſsô, quid attinuit, iſtud adſerere. Utiliorem quodammodo operam navaſſet, ſi, quomodo ea ita, ut jacent, intellecta verba quadrent ad præcedentia de legendis Bibliis, niſi (abſurda alia inde ſequentia nunc tacebo) ironia, quæ ex mente Conſtantini hîc concipienda eſt, alium ipſis tribuat ſenſum, demonſtraſſet. *Dictum Palatini de gravi ſuperbiâ p. 252.* quod in Palatinatu ſe inaudiviſſe profitetur Conſtantinus, concedo ipſum rejicere tanquam non cauſam rari in publicum Domini ELECTORIS egreſſus, ſed ita rejicere, ut aliam, quam veram putat, cauſam ejus in

locum

locum substituat, scil. eandem ad gubernandum Remp. ineptitudinem, de quâ egimus hactenus. Eò verba *p.254.* collimant: *Laudandum sanè non est, si Principes nomine magnificô segne otium velent, in umbraculis hortorum, praeteritorum, instantium & futurorum obliti, delitescant, ut ignava animalia, quibus si cibum suggeras, jacent torpentq́;, coll. cum pag. 256.* verbis: *Dn. Elector, quamvis &c.* Et hactenus quidem eò nisus est Ludovicus, ut posset omninò negare Ludovicum ineptitudinem ad regendum exprobrasse Serenissimo. Verùm cùm vanos suos intelligit conatûs, fatetur tandem *pag. 22.* Constantinum *p. 254. protulisse nonnulla de Dn. Electoris ingeniô, verùm ea pro certis & indubitatis minimè reputasse, sed opinioni nonnullorum adscripsisse, ceu in ipsô textu palàm esset.* Ecce verò iterum hominis ineptitudinem! Si enim pro incertis ea Germanicus habuit, quis ipsum instigavit diabolus, ut ea, quippe in tanti Prin-

 cipis

cipis opprobrium haud leve vergentia tàm audaci & nefandô calamô omnibus propalaret, &, quantum in ſe, rumorem illum propagare ſtuderet, quem debuiſſet ſupprimere? Ut verò hîc iterum hominis, ad mentiendum pronisſimi, pateat mendacium, conferantur hæc cum verbis *Itinerarii p. 258.* ubi profitetur Conſtantinus, ſe hæc *& in Palatinatu & alibi in Germaniâ à viris rerum gnaris accepiſſe.* Jam denique, cùm & hujus adſertionis falſitatem mox iri detectum intelligeret, demum omni pudore abjectô *non male feciſſe Conſtantinum*, dicit, *ea divulgandô*, ſcil. *quòd Deus pondere & menſurâ in animis Regum & Principum operetur.* Egregia verò ratio! Nævus aliquis in magnô Principe deprehenditur, Ergò ille riſui atque contemtui omnibus exponendus. Num hoc Chriſtiana charitas præcipit? Num hoc reverentia magnis Principibus debita poſtulat? An ignoras, Ludovice, quod *apud Tacitum* legitur *IV. Annal.* cæte-

ris mortalium in eô ſtare conſilia, quid ſibi conducere arbitrentur; Principum diverſam eſſe ſortem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda. Quam famam dum tu is deminutum, denegandô Sereniſſimo BAVARO prudentiam, de quâ *Ariſtot. 3. Polit.* dicit, quòd ſit ἄρχοντος ἴδιος ἀρετὴ μόνη, imperantis propria & unica virtus, (*Prudentiæ enim ad omnes res humanas uſus, ſed ad imperium maximè; quòd ſine eâ non ſolùm, infirmum ſit, ſed auſim dicere nullum*, inquit Lipſius *Civ. Doctr. Libr. 3. c. 1.*) vide, ne in poſterum documentum fias aliis, ut caveant ſibi ab imitandô tuam amentiam. Niſi conſtaret abundè de prudentia Domini ELECTORIS, mitioris licet, quod ipſi in laude ponendum, ingenii Principis, vel ex iis ipſis, quæ Conſtantinus de eô annotavit, eam eſſem probaturus. *Quæ porrò p. 255. & p. 256. Auctor in medium attulit, ad Domini Electoris perſonam applicari non debent*, inquit Ludovicus. Veriſſimè. Ergò

Conſtantinus ea, vel ipſius Ludovici judiciô, applicuit improbisſimè. De iis, quæ hîc iterum de Ludovico XIII. Galliæ Rege, immiſcet, tempus nos prohibet, multis eſſe ſollicitos. Id tamen verè ineptum, quòd ad demonſtrandum hebetudinem ingenii in Ludovicô Rege non aliud afferat argumentum in medium, quàm quòd Lynéi ac Richelii miniſteriô fuerit uſus, cùm illud ipſum invertendô *Cl. Dn. Le Bleu in ſuô Lilietô pag. 19.* exinde *acutum* regis judicium collegerit, verbis: *Conſtitit ex hôc unô DE ADMIRANDA Regis prudentiâ, dum, ut languenti regno ſubveniret, meritum rebus peragendis præfectum eſſe voluit* (intelligit autem Richelium) *Miniſtrum.* Quæ *p. 260. 261.* de porcis Bavaricis afferuntur, vult Ludovicus tantùm de ruſticis intelligi. Quam limitationem, ab ipsô etiam Conſtantinô pag. 262. additã, num verba *p. 260.* admittant, ipſis Bavaris æſtimandum relinquo. Sanè non ſolos ruſticos S. Joſephum, pro quô S. Antonium

tonium ipſis colendum eſſe dicit, elegiſſe conſtat, nec Bavaria, quam Porcomanniam vocat, ruſticorum eſt propria, aut ſolos ruſticos complectitur. Credo, Bavaros ruſticos, ſi Conſtantinus in ipſorum poteſtatem veniret, eſſe operam daturos, ut in vivo exemplari exprimerẽt imaginem, quam *p. 263.* ſe in Palatinatu offendiſſe dicit. Quod tandem de injuſtitiâ Domini Electoris circa *monopolia* Auctor *Itinerarii p. 281. in princ.* effutiit, rectè *delendum* putat Apologiſta, adeoque peccaſſe hic auctorem fatetur. Unde, culpâ hîc quidem profeſsâ, jam paucis etiam denique de *Ratisbonæ ſtructis inſidiis* videamus. Quas planè, quaſi exigui ſint momenti, Apologiſta præterit. At ego Conſtantinum per hanc adſertionẽm non minùs peccaſſe in Sereniſſimi Electoris famam exiſtimo, quàm per cæteras, quas breviter jam perſtrinximus, contumelias atque calumnias. Etſi enim non ignorem, Principem eruditum eſſe debere ſemper ad ſibi & ſuo Sta-

tui utilia formanda consilia, honestis tamen ea miscenda sunt, nec audiendi, qui nihil gloriosum, nisi proficuum, & omnia ampliandæ dominationis causâ suscepta esse honesta, sibi habent persuasum. Jam si Dominus Elector quibuscunque queat fraudibus ac dolis intercipere Ratisbonam det operam, ut Constantinus dicit *p. 291.* impium atque injustum ipsum esse *sequeretur* indubié. Propter injurias autem & contumelias & diversos dolos regnum à gente transfertur in gentem, *Eccles. c. 10.* Sed nos meliora nobis de sincero hujus, ipsô Constantinô fatente, mitissimi Principis ingenio promittimus. Anxium enim & periculosum est, in Regum & Principum secreta inquirere. Nisi me misereret infelicitatis, in quam suâ vesaniâ Constanstantinus se dedit præcipitem, quid ipse velit, eô, quòd tàm anxiè contemtui, tàm morum, quàm regiminis, exponere hunc Electorem fuerit, malitiosô, irritô tamen, conatu annisus, ostenderem prolixiùs.

xiùs. Sed malo ea nunc commiſeratione ductus præterire, & cum Ludovico Dresdam contendere.

V. Ad AULAM SAXONICAM.

ACriter verò & hîc invehitur Conſtantinus in ebrietatem & luxuriã hâc in aulâ nimiam. Cùm tamen hîc nõ tàm ex malitiâ, quàm ex imprudentiâ videatur peccaſſe, ſiquidem omnia cetera in Potentisſimo Domino ELECTORE, uti debet, laudat & commendat, nihilominùs tamen ſuæ temeritatis in judicandô de pompâ & apparatu aulæ tanti Principis causâ reprehenſionem eſt meritus. Benè etiam eſt, quòd Apologiſta hîc fateatur peccatum, veniam roget, & omnia licentioſiùs de Magnificentiâ

tiâ Aulæ Electoralis Saxonicæ & Simultatibus cum illis Principibus, cum quibus Serenissimus SAXO arctissimam ac fidelissimam hactenus coluit amicitiam, prolata jubet deleri. Id verò omninò hîc prætereundum non est, quòd non obscurè suprà in Moguntinæ aulæ descriptione, nescio cujus levitatis Serenissimum Dominum Electorem accusare non erubuit, dum *plaustra vinô Rhenanô onusta* eum movisse dicit, ut in causâ Erfurtinâ Moguntino faveret. Quod convitiũ non solùm malitiosissimum, sed & falsissimum. Siquidem plaustra illa, quæ dicit, non ante, sed post Erfurtum jam à Moguntino occupatum, Serenissimo Electori sunt missa. Adeoque licet non ob malitiam, tamen, uti dixi,

ob

ob imprudentem credulitatem & licentiosam quævis, sive vera sive falsa, sive in honorem sive in contemtum magnorum Principum vergentia, inchoatam promiscuè conjiciendi libidinem uti culpâ non caret, ita nec à pœnâ potest absolvi. Verùm cùm nobis hâc vice festinandum sit, progrediemur denique etiam

VI. ad AULAM BRANDENBURGICAM.

UBi Serenissimum ac Potentissimum Dominum ELECTOREM ob *duo* potissimùm accusat. Primò *quòd in plerisq; ditionibus suis non parùm Lutheranis* (insidiandô libertati conscientiæ) *gravis hactenus sit visus, cùm tn tenor Artic. 7. Pacis Westphal. longè aliud disponat, p. 551.* Secundò, quòd *tributorum exactione effecerit, ut apud*

ſubditos ubique ferè ſumma paupertas deprehendatur, non obſcurè innuens, *Lutheranos magis quidem iisdem premi, quàm Reformatos, p. 357.* Aſt utrobiq; non exiguam calumniam evomuit impius Conſtantinus. Quod priorem enim accuſationem concernit, fateor, Sereniſſimum Electorem, Principem piiſſimum, traduci, quaſi Lutheranam ex ſuis ditionibus religionem eradicare modis omnibꝰ ſtuderet. Sed hoc maleferiatorum quorundam hominum eſſe figmentum, omnes Suæ Serenitati fatebuntur ſubjecti. Sunt enim illi concionatorũ quorundam hujus ſæculi mores, ut niſi Stentoreâ voce acriter in diſſentientes debacchari ipſis liceat, ilicò de religione actum eſſe exclament, oves ſibi commiſſas deſerant, mer-

cena-

cenariorũ ad inſtar nonnunquam aufugiant, omniaque turbare ac miſcere non metuant; quâ tamen ratione conſcientiæ, ut ipſis quidem videtur, conſulendô ei vel vel maximè videntur officere. Quandoquidem hoc non boni paſtoris dici poteſt officium, oves propterea deſerere, quòd cum aliarum gregum paſtoribus injurias, jurgia atque contentiones contumelioſas exercere prohibeatur. Nec enim Optimus ELECTOR hactenus quidquam ampliùs voluit, quàm ut à ſcandaloſis convitiis, injuriis & calumniis, quibus nonnulli, tàm Lutheranorum, quàm Reformatorum ſe invicem proſequi auſi erant, utraque in nonnullis capitibus diſſentientium pars abſtineret in poſterum, piaque (ſalvâ

tamen libertate conſcientiæ) inter ſe ſervatâ concordiâ utrinque dent operam, ut quàmplurimos ſalutari inſtitutione Chriſto lucrentur. Prout illud ipſum tùm Edicta Serenisſimi Electoris, tùm declaratio cauſarum, ob quas duo Lutherani concionatores ex Eccleſiâ Berlinenſi dimisſi ſunt, unà cum Reſcriptô Serenisſimi, wegen der Prieſter-Reverſe an dero Geiſtl. Conſiſtorium zu Cöln an der Spree/ An. 1667. clarisſimè teſtantur. (Proſtant ea *Berolini ap. Rupertum Völkerum*) Ea inſpicere priùs debuiſſet Conſtantinus, quàm ita calumnioſè judicaſſet, Serenisſimum Electorem contra pacem Weſtphalicam, cujus hactenus adſertor extitit glorioſisſimus, quidquam egisſe, aut inſidiatum eſſe conſcientiarum

rum libertati, quam cuique se salvam relicturum esse expressis verbis in Edictô de 2. Junii, Ann. 1662. testatur: Nach dem Wir in Erfahrung kommen/ daß viel oder die meisten Unsere hohe Gnade und Gedult mißbrauchen/ und die **Freyheit des Gewissens uñ Gottesdienstes/ so Wir ihnen gnädigst gönnen**/ auf Muthwillen/ Zancksucht/ Verdam̃en und Verketzern der Reformirten/ ziehen/ ja mehr eyfern wider die dissentirende Evangelische Mit-Christen/ als wider öffentliche Hurer/ Trunckenbolde/ Wucherer/ Geitzige/ und andere Sünder/ ꝛc. Item verba dictæ declarationis: Es haben Ihre Churfürstl. Durchl. über keines Unterthanen Gewissen und Religion jemals einige Gewalt geübet/ noch auch

auch wegen ungleicher Glaubens-Bekeñtniß jemand angefeindet/sondern allen und jeden gleiche Gnade und Beförderung widerfahren lassen/ wie solches weltkundig/ auch von Außländischen in öffentlichen Schrifften erkennet und gerühmet worden. Und dahin sind auch alle in Religions-Sachen ergangene Edicta gemeynet gewesen/ nicht aber eine Religions-Mengerey einzuführen / viel weniger jemand wider sein Gewissen etwas zu glauben auffzudringen / oder die in diesen Landen übliche Gottesdienste uñ der Lutherischẽ Religions-Exercitia zu verhindern oder zu ändern/ꝛc. Alterã quod concernit calumniam, nemo diffitebitur, gravia tributa ſubditis fuisſe præteritis annis impoſita, ſed non niſi cùm efflagitavit inevitabilis

bilis ob ſubditorum conſervandam ſalutem necesſitas, unde factum, ut hi ſemper æquô animô iſta contulerint. Falſum verò, quòd ad incitas inde redacti ſint ſubditi, falſum etiam, quòd magis Lutherani ſint presſi, quàm ceteri. Illud experientia refellit, hoc ipſi, de quorum conditione quaſi iniquiori conqueritur vanisſimus Conſtantinus, refutabunt. Unde tantum abeſt, ut in Marchiâ ſubditorum à Serenisſimô ac prudentisſimè omnia pacis & belli negotia moderante Domino Electore alienati ſint animi, ut potiùs contra verè teſtari posſim, me nullum hactenus audiviſſe eorum, qui non ardentibus precibus atque ſuſpiriis longævam vitam & perpetuam felicitatem Suæ Serenitati exoptarit.
In

In quô piô votô & ego hoc Examen Judicii Ludoviciani de Itinerariô Constantini Germanici nunc finio, quia inter alias causas, & Ludovico defensionem suam finire hîc placuit. Fui brevis, quia ad ostendendum iniquitatem Scriptoris, & ineptitudinem Apologistæ saltem verba utriusque adduxisse satis fuit, ad vindicandum verò famam tantorum Principum minori adhuc operâ indigui, cùm ea tàm sit serena atque illustris, ut nulla, sive Constantini sive alii turbonis & calumniatoris convitia vel minimas tenebras ei inducere sint apta. Respondendum tamen fuit stulto, ne sibi videatur sapiens. Ero prolixior, si sive Constantinus, sive Ludovicus denuò insidias existimationi Serenissimorum Princi-

cipum,

pũ,cujus me noverit pro virili vindicem, dum vivam, ſtruendo hanc necesſitatem impoſuerit. Suadeo autem ipſi amico ex pectore, ne tantum nefas adgrediatur iterum, quin potiùs quantociùs peculiari editô ſcriptô omnium à ſe in contumeliam atque contemtum Sereniſſimorum Principum divulgatorum Palinodiam canat,ſupplicibusq́ue literis ac voce (poſtquam acerrimis lacrumis ſtultitiam atq; malitiam ſuam deploraverit) ad pedes ipſorum proſtratus veniam atque gratiam exoret, cùm crimen admiſerit tantum, quod, ſi ex rigore juſtitiæ cum ipſo eſſet agendum, vel capitis poſtularet ſupplicium, uti cenſuit Auctor Comparationis inter Conſtantinum & Sarckmaſium. Spero tamen, Sa-

cra-

cratisſimum Imperatorem & Ele-
ctores Serenisſimos recordaturos
eſſe illius, quòd Iſocrates Regem
ſuum admonuiſſe legitur, ſcilicet,
*ut delicta non culpæ magnitudine, ſed
clementiâ miſericordiâq; dimetiatur,
cùm regium omninò non ſit, acerbè, cru-
delitérve in eos, qui ſontes habentur,
animadvertere, ſed conſiliô & ſapientiâ
eis mederi, ut deinceps culpam potiùs
vitent, rationis memores, quàm ex ſæ-
vitia formident*, & propterea ſuâ
clementiâ dignaturos eſſe Con-
ſtantini pœnitentiam. Si enim,
ut *Seneca* loquitur *Lib. 1. de Clement.*
Dii placabiles, & æqui non ſtatim
delicta peccantiũ fulminibus per-
ſequuntur, quanto æquius eſt, ho-
mines hominibus præpoſitos
miti animo exercere
imperium?

F I N I S.



Mc